

testimonio habiti sunt. Porro tribus hisce volumini-
bus emendatis, triplex Severi Sulpicij historia
concepatur.... Verum cum primo in libri cujusque
vestigio compendium nostræ fidei a D. MARTINO con-
scriptum agnoscissem; obstupui sane, cur cum
toties Severus e prelis prediret, illius ne meptio
quidem facta sit. Sed, ut arbitror, præter charac-
terum antiquitatem, rei ipsius eos difficultas deter-
rebat. Nec enim suis periodis, virgulis cæterisve
notulis contextus definiebatur: adeo ut quibusdam
ambiguus, aliis mancus, omnibus abstrusior appa-
reret. Nam cum summa brevitate rem omnium
difficillimam complectatur; quis inter dictiones in-
circumscripas adeo perplexas, quid certi elicere
potuisset?... Operæ præmium igitur duxi suis punctis,
quasi vincis, effluentis dictiones cohære, sique
facile D. MARTINI Confessionem reddere. Et ne quid
decesset, annotatiunculas addidi, ne ejus vocis ob-
scuritas diutius lectorem suspenderet. Deinceps
vero noster editor Parisiensis libelli præstantiam

A edisserere pergens, complures hæreses hac sua Con-
fessione B. Martinum evertere ostendit, Ebionis,
Cerinthi, Marcionis, Manetis, Apollinarii, Arii,
Macedonii ac Eunomii. Quibus enarratis, ita conclu-
dit: « Vides, Christiane lector, ut compendiose
multas hæreses noster Martinus enecet? Illis quippe
temporibus existit, quibus aut qui Trinitatem, aut
qui unicam divinitatem evertere nitebantur, nullula-
runt.... Expende vero quot schismata, factiones et
sectæ, quo tempore floruit, emerserint: tum facile
agnosces non abs re hanc de Trinitatis et unius divi-
nitatis fide editam sententiam. » Hæc ille. Quæ quidem
omnia si quis accurate perpendat, arguet enim
vero, mea quidem sententia, nonnullos viros erudi-
tos ejusmodi Confessionem minus recte suspectam
habuisse; quæ nimirum in primis vetustissimorum
codicium fide et auctoritate monitur: digna plane
quæ cum Expositione fidei Gregorii Thaumaturgi
conferatur (a), si paucas demas duriusculas voces,
librariis forte vitio vertendas.

(a) Vid. nostr. Bibl. PP. tom III, pag. 585.

SANCTI MARTINI TRINÆ UNITATIS ET UNIUS TRINITATIS CONFESSIO.



Clemens Trinitas est una divinitas, ut autem per sacramentum cognoscatur: unitas est^a ab eo qui est sanctus, et spiritus: a quo, qui est, et unigenitus sic existens divinæ naturæ, lucis, spiritus, a se, se per naturam, per substantiam majestatis, potestatis, virtutis, divinæ lucis. Spiritus unus in duobus, et uterque in id ipsum: pater in filio, filius in patre, in sancto Spiritu. Sic tribus personis, confitemur b corpus præscientiæ: quod super omnia, cuncta concludit. In hoc mysterium ergo credimus, esse ex nullis exstantibus cuncta orta, quod mysterium mens humana concipere non potest, nec oratoria lingua enarrare, neque diffusi sermonis bibliothecarum volumina, si totum mundum libri repleant, divina scientia non possit inenarrabilis enarrari: qui est indicibilis, nullo modo possit describi, neque concludi aut verbum aut substantia propria divinitatis suæ. Qui est fons divinæ lucis, luminis, suæ substancialiæ, naturæ. Sileat lingua oratoria, quia deficit sermo de indicibili: cum consummaverit mens humana de divina majestate dicere, tunc incipit. Quanta sit autem divina clementia, nemo seit, nisi qui

C genuit: et nemo comperit secreta patris, nisi is qui per naturam, nascendi initium amisit. Omnis ergo mansuetudo et modestia peritorum, convertatur ad prophetam: et dominica auctoritate præsumat, dicendo: Credidi, propter quod locutus sum (Psal. cxv, 10). Quod autem per mysterium simplex sit professio, ut fundamentum Ecclesiæ, solidatæ Apostolica auctoritate, prædestinatio sequens præsumat, dicendo. De cætero nemo mihi molestus sit, ego credo in Christum, et hunc crucifixum. Quia cum confitetur filium hominis, confitetur et sanctum Spiritum: quia e sancto Spiritu, et Maria virgine mediator nascitur: cum confitetur primogenitum, necesse est de unigenito, qui testimonium dicat, unum et solum sine origine esse: c tertiam personam patrem confitetur, existentem divinæ naturæ, lucis. Spiritus D ut dixi, qui secundum divinam naturam, ut supra dixi, est unus in duobus, et uterque in id ipsum: pater in filio, filius in patre, in sancto Spiritu d in sancta Ecclesia. Nunc et in immortalia sæcula sæculorum. Amen.

^a Ab eo, etc. Al. ab eo qui est Spiritus sanctus, a quo, etc.

^b Corpus præscientiæ. Id est, ipso qui præscit ab æternis omnibus, cuius præscientia est ipsius substantia. BEAUX.

^c Tertiam personam patrem. Pater tertia est persona, quia trium una est. Id. — Al. unum et solum sine origine esse in tertiam personam patrem.

^d In sancta ecclesia. Al. unum in sancta ecclesia.